

Phæn. XI.

commodius potuit, postmodum inferiori ope ceræ resinosa sic agglutinata, ut non solum hæreret firmissimè sed omnem etiam aëris com meatum excluderet) foramini fundi medio D notabiliter ampliato superimposuimus canaliculum D O tribus cochleolis firmatum, amplitudine pennæ anserinæ cavum superantem eaque longitudine erectum, ut operculo A B superimposito ejus extremitas O à capsula B tantillum abesset; canaliculo exteriori M autem tres pedunculos æneos adferruminavimus, quorum ope statui erectum vasculum posset ubicunque lubitum esset, ita ut intervallum inter margines canalisi M & subjectam quamcunque planitiem præterpropter quartam unius digiti partem exæquaret. Quibus ita præparatis, & operculo A B suo vasculo decenter ac firmiter adaptato, insuperque pelvi cupreâ minore P Q, in hunc finem separatim elaboratâ, supra canalem majoris eo modo firmatâ quem Num. 2. pictura clarè satis ob oculos ponit; vasculum A M invertimus & per canalem M D O, cujus orificium jam sursum spectabat, aquam infudimus quantum satis (capit autem plusquam mensuram sive cantharum) repletumq; maximam partem & erecto situi restitutum, ocyus supra pelvim P Q statuimus, eodem momento videntes aquam per fundi foramina aliquandiu depluere, non obstante nunc supernæ valvulæ, cujus hîc nullus erat usus, arctâ clausurâ; paulò post autem cum pelvis aliquousque repleta esset, hanc pluviam derepentè ac suâ quasi sponte cessare spectavimus, mox tamen, ubi excepta pelvi aqua per foramen majusculum P in canalem Q, & per aptatos huic animi gratiâ tres angustos canaliculos in pelvim majorem E, sub fontis salientis forma, fere omnis effluxisset, ultrò redeuntem & sic alternis vicibus jucundissimo spectaculo ludentem, donec vasculum B D penitus evacuatum esset.

XVIII. Sic igitur sæpiùs memoratam circumforanei machinulam feliciter imitati, eandem, accessionibus haut ingratis exornatorem, nihilominus alteri quoque usui, quem